

misit Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater, quod  
(I.) Proponit partim implicite, partim explicitè v. 6. Ὁ δὲ εἶπε ὑοῖς,  
ἐξέπειλεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα ἑ αὐτῶ ἐς τὰς καρδίας ὑμῶν, κρη-  
ζοῖ Ἀββᾶ ὁ Πατήρ. Ubi describitur **MISSIO SPIR. SANCTI:**

(α) *A Principio mittente*, quod est Deus Pater, & Deus Filius, sicut Christus docet Joh. XV, 26. *Quando Paracletus veniet, quem ego mittam vobis à Patre.* Quare h. l. dicitur Spiritus Filii Dei, quia Spiritus Sanctus à Filio quoque ab æterno procedit. Missio igitur Filii Dei distingvitur à Missione Spiritus Sancti, ratione Principii mittentis. Nam Principium missionis Filii, est Deus Pater, missionis autem Spiritus Sancti, est Deus Pater & Deus Filius. (β) *A Subjecto*, ad quod missus est Spiritus Sanctus. Illud sunt corda fidelium, Judæorum, & Gentilium, quia in solis Dei filiis adoptivis, Spiritus Sanctus *gratiosè* habitat: unde templa Spiritus Sancti appellantur, 1. Cor. III. 16. Majus autem donum Pater & Filius dare non possunt, quàm mittere Spiritum Sanctum coessentialem in corda nostra. Magna igitur est felicitas illorum, qui sunt templa Spiritus Sancti, vel illius gratiosà in habitatione fruuntur, ab illo reguntur, & ducuntur in omnem veritatem, ut vanitatem hujus mundi discant aspernari. (γ) *A fine*, qui est, ut faciat Credentes, vel filios Dei, clamare in ipsorum angustiis, & tentationibus Ἀββᾶ ὁ Πατήρ, sicut etiam legitur Rom. VIII, 15, ubi tristes animæ in tentationibus suis spiritualibus objiciunt inter alia:

*Nos non possumus orare, in nostris tentationibus spiritualibus,*

*E. in nobis non clamat Spiritus Sanctus: Ἀββᾶ ὁ Πατήρ.*

Resp. ad Conf. Neg. Nam Spiritus S. in Vobis non immediatè clamat, sed excitat gemitus, vel suspiria inenarrabilia, v. 26. Non igitur quæritur, an in tentationibus gravissimis spiritualibus, vos possitis integras preces recitare, sed annon emittatis, Spiritus S. gratiâ, multos gemitus, & suspiria, quæ sunt instar devotæ, & humillimæ precationis, & in vestra infirmitate illis non

B.

im.